Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 715
Quelle:
Copyright:

rius productum fuiſſe puto, ſed excidit Membrana. Diſtinguit *Anacletum* a *Cleto*, inter *Felicem* I. et *Eutychianum*, neſcio quem *Potianum*, interſerit, cui dat *annum 1. menſem 1. diem* 1. *Sabinianum* facit *Fabianum*, *Theodorum* omittit, pro *Dono Bonum* et pro *Conone Bononem* ſcribit. Plures ejusmodi Catalogos utroque *Vol.* indicavi.

CCCXXXIII.

R. 20 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 232. f. per duas columnas non una manu, nitide ſed multis compendiis vocum exaratus, minioque diſtinctus varia complectitur D. *Auguſtini* Opera partem genuina, partem ſpuria, quorum haec ſeries: I. *Incipit liber queſtionum ſancti auguſtini epiſcopi octoginta quinque*. Repone *trium*; ita enim Autor ipſe L. I. *Retract. c.* 26. qui locus etiam ipſi *Codici* una cum Elencho Quaeſtionum praefixus eſt. At vero Elenchus iſte praeterquam, quod ordine Quaeſtionum ab edit. *Maur.* T. VI. differat, omiſſa Q. XXXI. quae *Ciceronis* locus eſt, tres alias inſerit, qua ratione utique Quaeſtiones *Octoginta quinque* conficiuntur. Inſerit autem Q. XLV. *De magis pharabonis*, Q. LXIV. *Eum, qui ut uult uiuit, beatum eſſe*, et Q. LXXX. *De paſcha*, quae irrepſerunt e *Libro* ἀδεσπότῳ XXI. *Sententiarum* a *Maurianis* in *Append. T. cit. col.* 1. merito repoſito, ubi locum IV. I. et II. tenent. Cum autem Editores hi non niſi unum Exemplar *mſ.* ſe nactos dicant, e *Cod.* noſtro ſequentia obſervo. Q. XLV. ſeu IV. pro *beneficium impetrare* legit *perpetrare*, et *inferiores poteſtates* pro *aeriae*. Q. LXXX. ſeu II. *ut invictus comprobetur* pro *virtus comprobetur*. *Quarta decima luna* pro *die*. *Malitia corrupta* pro *malitiae corruptae*. *Corpora quippe* pro *corque jecurque*.

II. *fol.* 24. ſequitur: *Expoſitio quarundam propoſitionum ex epiſtola pauli apoſtoli ad romanos. Sancti auguſtini epiſcopi.* Praeit etiam hic Cenſura e L. I. *Retract. c.* 23. ipſeque Liber incipit: *Senſus hi ſunt in epiſtola ad romanos pauli apoſtoli* &c. et finit: *Quorum deus venter eſt.* Ut edit. *cit.* T. III. P. II. *col.* 901.

III. *fol.* 30. p. 2. *Incipit Liber Auguſtini de penitentia.* Initium: *Quam ſit utilis et neceſſaria penitentie medicina* &c. Sermonem CCCLI. fecerunt *Mauriani* T. V. *col.* 1350.

IV. *fol.* 34. praevio loco L. II. *Retract. c.* 6. *Incipit liber primus confeſſionum Auguſtini.* Initium: *Magnus es domine et laudabilis nimis* &c. Finis Lib. XIII. *Sic invenietur, ſic aperietur. Amen.* Ut edit. *cit. T. I. col.* 69. Sed nobis adhaeret: *Oratio auguſtini de primo libro ſoliloquiorum* hoc initio: *Deus uniuerſitatis conditor preſta mihi* &c. et fine: *habitatorem beatiſſimi regni tui. Amen.* Itaque Libri praedicti *Capita* 2.—6. ut T. *cit. col.* 355.

V. *fol.* 79. p. 2. *Auguſtinus de diffinitionibus eccleſiaſticorum dogmatum.*